

tum, vel insumere ducenta.

192. Sed communi sententiæ subscribendo dicimus, quod dum debitum est certum, servatis cæteris conditionibus, licita est compensatio absque iudicis interpellatione, si hæc haberi non valeat sine expensis maioribus, aut æqualibus debito, vel quando debitum probari non potest. Verum quando debita sunt valoris notabilis, & recuperari valent medio iudice per expensas litibus communes, & ordinarias, sexta conditio sub gravi observanda est. Ita, nec singuli erunt iudices in suis causis, nec Tribunalia de medio tolluntur, ut quidam gratis clamitat.

ПУКЕТУМ XXVII.

Alia dubia circa compensationem.

193. Inq. 1. An, qui utitur compensatione sine autoritate iudicis, quam commode posset interpellare, teneatur ad restitutionem? R. neg. quia non peccat contra iustitiam commutativam, sed contra legalem, usurpando non rem alienam, sed suæ rei iudicium, ut inquit D. Thom. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 3.

194. Inq. 2. An qui rem accepit in compensationem, possit jurare se nihil accepisse, intelligendo, quod sibi non deberetur? R. neg. Quia subauditio hæc est restrictio mere interna. Ob eandem rationem accipiens aliquid ad suam sustentationem jurare nequit, se nihil accepisse, ne a creditoribus spoliatur. Ideo si excommunicatio lata fuerit contra talia accipientes, incurritur ab illis, qui ad se compensandum ea surripiunt.

195. Inq. 3. An famuli, & famulæ possint uti compensatione occulta, eo quod sibi solvitur salarium suo labori inferius? R. quod si revera non solvitur a domino salarium integrum consuetum, vel in quo ab initio conventum fuit, non sunt peioris conditionis, ac cæteri, quibus licet compensatio de debito certo servatis aliis conditionibus. Verum, si libere cum domino paciscantur pro tanto stipendio tametsi inferiori eo, quod sibi debetur, nequeunt aliquid subripere ad amplius recuperandum, ut diximus tract. xv. n. 68. ubi exponitur propositio circa

famulorum compensationem damnata ab Innocent. XI.

196. Inq. 4. An sartores, sive magistri, sive famuli valeant subripere fragmenta vestium in compensationem majoris stipendii, aut exiguæ mercedis? R. Nullatenus esse permitendam huiusmodi compensationem, sed penitus relegandam sive in magistris, sive in famulis; ne cupiditas insatiabilis ultra justa confiniâ augeat sartorum stipendia. Imo, quo frequentior est culpa, eo arctius a Confessariis est repellenda, & improbanda, ac cohibenda. Si autem certum sit eis non solvi salarium justum, idem de eis teneas, ac de famulis, caute tamen.

197. Inq. 5. An debita ex iustitia compensentur per dona, aut obsequia gratuita, ut si ex iustitia debeas centum Petro, & eidem dono gratuito totidem tribuas, liber maneat a solutione? R. neg. quia debitum ex iustitia postulat solutionem ex iustitia, donum autem, favor, aut gratia sunt extra omnes limites iustitiæ. Verum, si quando centum donas, habeas voluntatem satisfaciendi obligationi iustitiæ, si cui teneris, vere satisfacis, propter animum solvendi prius debita ex iustitia.

198. Inq. 6. An circa famæ restitutionem sit licita compensatio? R. Quod diffamatus ab alio nullatenus potest diffamare eum ad se compensandum, sicut vulneratus ab alio, minime ad se compensandum valet alium vulnerare. Cæterum quando duo mutuo se infamant, si ille, qui prius diffamavit, nolit famam restituere, poterit æque diffamatus differre restitutionem, ne ea indirecte confirmet propriam infamiam. Similiter falso diffamatus ab alio potest aliquid ejus peccatum verum occultum detegere, quantum necessarium sit ad labefactandum ejus testimonium, quia hoc non est compensare una infamia aliam; sed defendere famam propriam. Nemini licet clam subripere pecunias pro compensatione famæ sibi ablata, nec, ut supra diximus, cum opinione etiam probabiliori ad compensationem enim requiritur, quod res, quæ accipitur, certo debeatur ex iustitia.

199. Pro coronide observa, quod dum adstruimus compensationem licitam, nul-

li eam suademus. Nam dicere quid fieri valeat, non est suadere, ut quisque id efficiat. P. Concina lib. 9. in Decal. cap. 6. fuso calamo de more improbat compensationem, quia periculis plena est, & vix ejus conditiones observantur. Sed dicat ipse, cur admittit defensionem propriæ vitæ, etiam cum occisione injusti invasoris, sex adjectis conditionibus, esto vix servari valeant in conflictu invasionis? Porro plus periculi præfert occisio invasoris, quam compensatio occulta, erg. qui illam admittit, non coherenter rejicit istam, ex eo, quod periculis sit exposita.

200. Nota obiter, Concina admittit occisionem injuri invasoris, etiam Regis; quod nos cum doctissimo Soto omnino reprobamus; Rex enim, aut supremus Princeps est toti Regno valde utilis, & necessarius, licet aliquando forte deficiat a iustitia; sequereturque ex ejus occisione maxima perturbatio, cum qua non licet resistere Principibus etiam malis, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 4. in corp. quem nequitur pro occisione Regis invasoris citat Concina lib. 7. in Decal. cap. 5. §. 2. n. 1. nam loco laudato, nec alibi loquitur D. Thom. de Rege privata autoritate invadente. Mirum est, quod nolit admittit compensationem privatam circa debita liquida, & certa, clamans esse perniciosam Principibus, & quod admittat occisionem Principis, & Regis invasoris, esto fiat ab infimo plebis. Nos vero hanc penitus reprobamus, ut perniciosam Principibus; illam autem cum communi sententia, debitis conditionibus, ut consentaneam aequitati naturali asserimus. Angelicus loco laudato agit non de Rege invasore, sed de reo injuste condemnato ad mortem, de quo ait, posse resistere Principibus, seclusa gravi perturbatione: quod toto cælo distat a Regis occisione. Principi suo infidelis est subditus, qui pro ejus vitæ conservanda propriam vitam non exponit; quanto igitur infidelior erit, qui ab ipso eam eripit? Quamvis itaque Rex, aut Princeps supremus sit in regimine tyrannus, vel arripus aliqua passione propria hominis invadat, nullo modo interfici valet ab invasso; esto huic liceat defensio pro-

pria siue tanti invasoris occisione.

CAPUT II.

De restitutione in particulari.

ПУКЕТУМ I.

De restitutione propter homicidium faciendam.

201. Inq. 1. An aliquid sit restituendum pro vita, aut membris ablatis? Pro resolutione nota duplex posse dari damnum in occisione, aut mutilatione. Aliud personale ipsius occisi, aut mutilati; aliud temporale, vel hæredum utriusque, vel saltem ejusdem mutilati. Secundum puncto sequenti, nunc primum est discutendum, an nimirum aliquid sit restituendum pro ipsa occisione, aut mutilatione. Circa quam difficultatem duplex militat sententia: prima affirmat, secunda negat: utraque sua fruat probabilitate; utriusque vero probabilitatis rationem portentosam tradit Concina, ait enim, quia nulla est evidens. Portentosam dicimus rationem, quia a sæculo non est auditum, opinionem aliquam esse evidentem.

202. Sed quidquid sit de hoc, utraque sententia in idem tandem convenit, solum namque discrepat in eo, quod prima tenet esse aliquid restituendum ex iustitia, secunda ex quadam æquitate naturali, decentia, aut congruitate. Nos igitur propter reverentiam D. Th. cuius auctoritatem statim producimus, priori subscribere debemus. Ideo:

203. Dicendum est, quod occisor, aut mutilator injustus debet aliquid ex iustitia restituere arbitrio viri prudentis pro ipsa occisione, aut mutilatione, tum ipsi damnificato, tum ejus hæredibus, si eo indigeant. Si enim nihil indigeant, aut vellet, nihil est restituendum: ut si constaret occisum in peccato lethali decessisse, nullumque hæredem reliquisse. Hanc sententiam expresse videtur tenere D. Th. 2. 2. q. 62. a. 2. ad 1. dicens: Quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliud æquale, debet fieri recompensatio, qualis possibilis est: puta cum aliquis alicui abstulit membrum,

brum, debet ei recompensare, vel in pecunia, vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ secundum arbitrium boni viri.

204. Ex quibus verbis sic efformatur ratio assertionis: posita injusta læsione arbitrio prudentium; sed posita occisione, aut mutilatione, ponitur læsio alterius, ergo facienda est possibilis restitutio arbitrio prudentium. Quoniam iustitia obligat ad ponendam æqualitatem possibilem moraliter, ubi iniustitia inæqualitatem apposit.

205. Objic. 1. Leges civiles decernunt nihil esse restituendum pro læsione corporali præter expensas curationis, & alia damna temporalia, ergo R. leges civiles decernunt non dari actionem in foro externo contra percussorem pro ipsa cicatrice, aut deformitate; sed D. Th. docet aliquid esse restituendum arbitrio boni viri in foro conscientie.

206. Objic. 2. Leges civiles, & ipsa ratio naturalis declarat vitam, ac membra humana non esse pretio æstimabilia, ergo R. Vitam, ac membra humana excedere omne pretium, esseque altioris ordinis, solum probare non posse restitui ad æqualitatem; minime vero non debere aliquid compensari arbitrio boni viri. Fatetur difficile posse assignari quid, aut quantum sit restituendum, ideo, ut ait Mag. Soto, plus huc conducit prudentium sententia, quam Theologorum scientia.

207. Pro praxi igitur curet Confessarius, ut considerata conditione utriusque personæ præter damnorum compensationem aliquid homicida largiatur hæredibus interfecti pro vita ablata, studeatque uxori, ac familiæ afflictæ solamen, & subsidium, vel per se, vel per alios pro viribus impertiri: insuper quod sacrificia, jejunia, elemosynas, aut orationes pro occiso singulis hebdomadis saltem per annum offerat: denique quod aliquas preces quotidie per totam vitam pro illo recitet. Si poenam talionis subeat, omnia hæc restituta censentur. Pariter si pars offensa nobilis, aut dives sit, non pecunia, sed submissione, & petitione veniæ ab homicida, vel mutilatore lenienda est.

De restitutione debita ob damna secuta ex homicidio, aut mutilatione.

208. Inq. 1. Quæ damna occisor, aut mutilator restituere debet? R. occisor, aut mutilator tenetur restituere omnia damna, quæ ex sua injusta læsione partil læsæ, vel ejus hæredibus proveniunt; quia est eorum causa efficax. Unde debet compensare expensas necessarias curationis cum omni damno emergente, & lucro cessante. Non quidem omne lucrum integrum, sed quantum æstimatur spes lucri, deductis expensis, quas facturus esset læsus in lucrando, ut si esset impensurus quinquaginta ad lucrandum centum, ad quinquaginta solum tenetur lædens. Non tamen est detrahendus labor, aut molestia, seu incommodum, quod vulneratus subiret in suæ artis exercitio, ut aliqui asserunt; si enim juxta laboris æstimationem diminuendum esset pretium, vix aliquid foret restituendum, quia sæpe lucrum non excedit laborem.

209. Nec etiam est audiendus modus opinandi aliorum, qui omnia damna pro occisione solvenda reducant ad quinquaginta aureos; quia hæc summa solum taxatur per legem tamquam poena, seu multa occisoris. Pariter improbanda est ratio temporis, quo vicurus esset occisus ab aliquibus asserta, nempe usque ad sexaginta annos; alias occidens hominem sexaginta annorum ad nullam restitutionem teneretur, quod non est dicendum, quia a directione, industria, negotiatione, seu arte hominis sexagenarii plerumque pendet substantiatio universæ familiæ. Ideo rationabilis hic computus definiendus est arbitrio prudentum, ætate, robore, cæterisque circumstantiis occisi bene perspectis. Qui occideret proxime moriturum, vel a Judice statim occidendum, ad nihil restituendum adstringitur, quia nullius damni subsecuti est causa efficax. Secans, aut inutile reddens membrum alterius sufficit, quod singulis annis, aut mensibus solvar lucrum cessans juxta spem, quin computet annos vitæ vulnerati. Præfata damna restitui debent, præsertim, si a partibus

læsi postulentur, esto lædens poenam talionis subeat: quia per poenam satisfacta reipublicæ, non vero parti.

210. Nihilominus potest differri restitutio in gravi necessitate lædentis, nisi læsus, aut hæredes occisi in eadem necessitate sint constituti, ut supra diximus. Pariter inter nobiles, ac divites omitteri valet, si certo credatur non esse admittendam, imò dedecore habendam, ut communis tenet consuetudo. Expensæ funeris non sunt regulariter restituendæ, quia necessario aliquando essent faciendæ. Si autem ob anticipationem, vel aliam circumstantiam majores expensæ fierent, ut, si quia fuit quis occisus extra patriam, funeralia duplicanda forent, aut cadaver in eam transferendum, compensari debet excessus. Obligatio restituendi hujusmodi damna transit ad hæredes, sicut obligatio solvendi debita realia, si ante solutionem debitor moriatur. Unde, etiam fiscus tenetur ea solvere, si bona homicidæ publicata, aut ei applicata fuerint.

211. Inq. 2. An teneatur restituere provocatus ad pugnam, si occidat provocantem? R. Quod, si illum occidat servato moderamine inculpatae tutelæ, vel etiam cum aliquo levi excessu, ad nihil tenetur; quia jus habet ad se defendendum; si vero graviter in moderamine excedat, ad restituendum obstringitur. Non tamen integrum damnum, quia sibi ex parte imputare debet invadens cum periculo propriæ occisionis, tribuens eo ipso potestatem alteri, ut contra se agat, vel ut se defendat.

212. Supponimus nullum posse admittere duellum pretextu dedecoris, seu infamiæ, aut alterius cujuslibet causæ, sicut suo loco diximus; difficultas est, an, si admittens duellum interficiat provocantem, peccet contra justitiam, teneaturque ad restitutionem? R. neg. quia provocans cessit juri suo, & licet provocatus injuste agat, quia uterque peccat contra caritatem, & justitiam respectu Dei, reipublicæ, & sui ipsius, tam in duello, quam in pugna lethali; amplius tamen peccat provocans, ceditque juri suo, & justitiæ respectu propriæ vitæ.

213. Inq. 3. An ex homicidio casuali oriatur obligatio restituendi? R. quod, si

per errorem volens Petrus occidere Paulum, occidit, vel mutilat Joannem, restitutioni adstringitur, quia ejus crimen vere est homicidium voluntarium, esto casuale respectu Joannis. Vulnerans autem alium non lethaliter, esto ex injuria chirurgi mors sequatur, liber est a damnis ex morte, licet non ex vulnere subsecutis: nisi mors sequeretur, eo quod chirurgus non reperitur. Similiter nihil est restituendum ex homicidio omnino per accidens, sive ex actione licita, sive illicita secuto: ut si clericus chirurgiam, aut venationem sibi vitam exerceret, adhibita morali diligentia ad damnum præcavendum, ad nullam restitutionem tenetur. Si autem ex negligentia graviter culpabili homicidium sequeretur, ad omnia damna teneretur. Unde prævidens se ebrium, aut somniantem hominem læsurum, restitutioni adstringeretur, nisi sufficientem diligentiam adhiberet ad præcavendum. Pariter, qui affectus injuria alterum occidit, restituere debet, quia injuria illata non præbet jus ad sumendam vindictam, & multo minus ad aliquem occidendum.

214. Inq. 4. Quibus personis facienda est restitutio damnorum, quæ ex homicidio subsecuntur? R. Quod restitutio alimentorum debet fieri hæredibus necessariis; uti sunt parentes, uxor, filii, & nepotes. Hujusmodi autem restitutio facienda est, esto hæredes ea non indigeant, nisi ipsi nolint compensari, ut de nobilibus supra diximus. Verum debita realia, ut expensæ curationis, lucrum cessans, aut ea, quæ occisor forsitan promisit ob injuriæ remissionem, solvenda sunt hæredibus, etiam liberis, illis nempe, quos vulneratus sua sponte instituit. Fratres, aut alii consanguinei hæredes necessarii non sunt, ideo eis non tenetur occisor alimenta compensare, nisi homicidium perpetraret animo eis nocendi. Similiter non tenetur debita personalia solvere creditoribus occisi, quia creditores, sublata persona, solum habent jus in ejus bona, si quæ supersint, & consequenter hæredes debent eis satisfacere. Si lethaliter vulneratus remittat omnia damna homicidæ, remissio valida est, esto peccaret contra caritatem, quando hæredes necessarii subsidio indigerent.

PUNCTUM III.

De restitutione ratione stupri.

215. Inq. 1. Quid sit restituendum ob crimen stupri? R. Sub distinctione: nam vel committitur seducendo virginem dolo, vi, fraude, aut precibus importunis; vel ipsa sponte consentiente: in hoc secundo casu nihil tenetur *per se* deflorator restituere ipsi puella, quia scienti, & volenti non fit injuria: parentibus autem ejus aliquam satisfactionem præstare debet propter inhonorationem, aut injuriam; quia violavit jus custodiæ, quo potiuntur circa illam. Unde, inconsequenter asserit Concina ex una parte suprum, etiam puella consentiente, esse iniustitiam respectu parentum, & ex alia nihil in tali casu eis restituendum. Nota igitur assertio congruentior est rationi, maxime, si aliquid dedecus, seu infamia parentibus ex tali copula obveniat; quod quando ex jaclantia, seu manifestatione defloratoris proveniret, omnes tenent debere parentibus, & ipsi puellæ satisfieri. S. Antonin. p. 2. tit. 5. cap. 6.

316. Si autem quis virginem dolo, vi, fraude, aut minis, seu precibus importunis violavit, tenetur compensare omnia damna honoris, & fortunæ ipsi, & parentibus inde secuta, quia fuit illorum causa injusta. Unde si puella nullam dotem habuisset præter suam honestatem, dotanda est a stupratore, ut honeste nubat. Si habeat dotem juxta personæ conditionem, augenda est dos, ut si ante deflorationem sufficiunt mille, & post eam exiguntur duo milla, debet deflorator ei tradere mille, ut æqualiter cum augmento nubat, & insuper debet aliquid dare arbitrio prudentum propter illum dolorem, aut mærorem, quem femina vi oppressa patitur, vel ob timorem, ac periculum, ut si conjugata cognoscatur a viro, & dimittatur, aut male tradetur.

217. In foro conscientie non tenetur corruptor, qui vi, aut fraude copulam extorsit absque promissione matrimonii, feminam ducere, ac dotare; sed unum ex his ei exhibere, nisi aliter, quam

eam ducendo non posset damnum recuperare, quia solum tenetur ad damnum compensandum, ergo dum hoc recuperare valet eam dotando, non tenetur ad eam ducendam; nisi iudex in pœnam criminis ad unum determinate, vel ad ambo simul eum obliget; tunc enim deberet obedire: quia sententia pœnalis iusta obligat in foro conscientie. Verum seducens virginem per vim, aut fraudem, fingendo se nobilem, aut divitem, cum talis non sit, si velit eam ducere, ipsa autem, & parentes ejus recusent, debet ei pecunia reparare damnum illatum: ad hoc enim ipse tenetur; ipsa autem non est cogenda contrahere cum injusto deceptore. Nec iste debet eam ducere, si ex matrimonio gravia jurgia, lites, aut scandala timeantur, ut plerumque contingit. D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 6. ad 3.

218. Si vir oppressor dubitet, an puella esset virgo, debet modo dicto damna compensare, quia nemo præsumitur malus, nisi probetur. Imo licet certo cognoscat, non reperisse virginem, reputabatur tamen talis, & suo concubitu eam diffamavit, tenetur eodem modo, vel eam ducere, vel dotem augere: quia fuit causa damni secuti. Si ex coitu, nullam passa est infamiam, asserunt plures, nihil esse restituendum. Sed nos consequenter ad dicta putamus, aliquid esse compensandum arbitrio prudentum, propter vim, & mærorem oppressionis. Quod dictum est de virgine, idem tenendum de vidua honesta. Si virgo deflorata æque religionem profiteri valeat, ac si deflorata non fuisset, ad nihil deflorator adstringitur, nisi ad aliquid propter vim, vel pactum, aut sententia summæ pecuniariæ præcesserit: quia in tali casu ratione horum teneretur illam solvere, vel puellæ, vel ejus hæredibus, si ipsa ante tempus nubendi moriatur, quin remitteret, vel condonaret defloratori injuriam, aut debitum.

219. Inq. 2. An si vir repetitis precibus, munusculis, aut blanditiis virginem in consensum pertraxit, tenetur damna secuta compensare? R. negative, quia preces, munuscula, aut blanditiæ non inferunt violentiam, ergo nec injuriam. Si tamen preces jungantur cum metu reve-

rentiali gravi, aut sint adeo importuna, ut violentiæ æquivalent, deberet damna subsequa reparare. Item si vice incoepit amplexibus, osculis, aut tactibus vim virgini inferre, licet postea ipsa consentiat, non liberatur a crimine stupri, nec a damnorum compensatione: quia per priorem violentiam virginem in tali statu constituit, ut ad resistendum virtute heroica indigeret. Quæ omnia intelligas, si vere adest metus gravis reverentialis, aut violentiæ incepta; verum quia femina sponte plerumque volunt, etiam ea, quæ nolle produnt, nec serio repellunt, ut debent, suos amantissios, aut procos, sed potius eorum amorem conciliare satagunt; ideo raro credendum est eis violentiam incuti, sicutque libidini imputari debent damna inde subsequuta; & optarem, quod judices ita cum eis se gererent; sic quippe plures querelæ falsæ, iniustitiæ, & culpæ excusarentur.

PUNCTUM IV.

Alia dubia circa restitutionem ratione stupri.

220. Inq. 1. Ad quid teneatur, qui sub promissione matrimonii virginem violavit? R. teneri ad eam ducendam, si ve vere, sive fide promiserit; quia adfuit contractus onerosus, ergo impleto ex parte femina, debet etiam ex parte viri adimpleri. D. Thom. in 4. Sentent. d. 28. q. 1. a. 2. ad 4. Si impedimentum dirimens affinitatis, sacri ordinis, aut professionis superveniat viro, debet femina omnia damna compensare. Si paratus eam ducere, ipsa vero, aut parentes recusent, ad nihil tenetur. Idem est, si puella alium post promissionem cognoverit, quia per violationem, aut fractionem fidei ex parte femina cessat obligatio ex parte viri. Idem similiter dicendum, si puella virginem se fingens, certo defloratam vir reperiat: quia per deceptionem injustam amisit jus omne contra virum, ut clarius statim dicitur.

221. Pariter, licet puella virum non decipiat, sed vir putans virginem esse, sub promissione conjugii eam cognoscens, certo defloratam inveniat, ad nihil te-

netur: non ad eam ducendam; quia copula præcedens sufficiens causa est dissolvendi promissionem; nec ad damna reparanda: quia nullum ex copula secretum supponitur, cum præcesserit alia. Nisi secunda copula feminam diffamasset: tunc enim teneretur vir ad eam ducendam, vel dotandam. Atque etiam debet aliquid arbitrio prudenti compensare ob usuram corporis non virginalis, juxta plures. Vide tamen a nobis dicta in fine puncti præcedentis.

222. Inq. 2. An adstrictus voto castitatis, seu religionis cognoscens virginem sub promissione conjugii, teneatur ad eam ducendam? Ante resolutionem tria supponuntur. 1. Quod si virgo voti conscientia erat, mala fide processit: id eoque non tenetur vir eam ducere, nec dotare, nisi forte persuasa sit a viro, se de facile dispensationem obtenturum. 2. Quod si puella contenta sit alia satisfactione, nequit vir eam ducere, sed debet votum implere. 3. Quod si alio modo non potest reparari damnum, quod virgo ignara voti passa est, tenetur vir dispensationem voti petere, & cum ea contrahere, imo, & matrimonium consummare, ut sic utrique obligationi voti, & matrimonii fiat satis. Quod in trutinam adducitur, est: an quando virgo insciantia voti, permittens se sub promissione conjugii violari, nollensque aliam satisfactionem, teneatur vir eam ducere?

223. R. Negative: quia non tenetur ex vi promissionis, quæ, supposito voto, nulla est; nec ex vi damni illati, quod aliunde potest compensari, ergo ex nullo capite tenetur ad conjugium: sed debet implere votum, ad modum, quo si quis simili voto adstrictus virginem violaret, sine conjugii promissione violaret, ad votum implendum teneretur, semper ac damna virginis illata, aliunde reparare posset.

224. Objicies 1. Votum non est vinculum iniquitatis; sed tale esset impediendo reparationem injuriæ virginis irrogatæ, ergo. 2. Votum non obligat rebus notabiliter mutatis, sed hic adest notabilis rerum mutatio, ergo. 3. Obligatio justitiæ præponderat obligationi religionis, maxime illi, quæ ex libera voluntate oritur, ergo. R. Quod hæc omnia

solum evincunt suspendi obligationem voti, quando aliter iustitia nequit satisfieri; at in presenti supponimus virum posse aliunde compensare damna deflorata subsecuta; unde debet ea reparare, & votum adimpleri.

PUNCTUM V.

De restitutione ratione adulterii.

225. Inq. 1. Quid restituere debeat adulter, quando ex adulterio partus subsequitur? R. Quod si ex signis certo agnoscat adulter, prolem esse suam, quia maritus absens, graviter æger, aut omnino impotens erat tempore conceptionis, debet compensare omnia damna marito consecuta in puero alendo a tertio atatis anno, & etiam in hoc triennio, si quæ passus est ratione alienæ prolis: omnium enim est causa injusta adulter. Nam esto verum sit, quod mater teneatur alere infantem primis tribus annis, & pater a tertio anno, usque dum filius sibi providere valeat, si tamen mater lacte careat, aut alia dispendia maritus subeat, tenetur adulter in defectu adulteræ omnia compensare. Maxime si per vim, aut metum gravem extorsit ab adultera copulam: quia tunc ipse solus est causa principalis eorum, & minus principalis adultera, quæ proinde in defectu illius tenetur ad omnia. Si ambo mutuo consentiant, uterque in solidum debent universa damna marito, & familiæ compensare. Parentes, qui hospitalibus filios alendos exponunt, debent eis expensas solvere, si vires suppetant, hospitalia enim instituta sunt ad alendos filios pauperum.

226. In æquali dubio an proles sit adulterina, compensanda sunt damna pro qualitate dubii: quia de crimine constat, & ad reum pertinet probare non esse suam. Nec refert, quod puer non debet se credere spurium, ergo nec adulter debet se putare ejus patrem; quia puer est innocens, & non est spoliandus sua innocentia, & legitimitate, quin probetur. Adulter vero est nocens, ideo se debet putare debitorem, nisi oppositum probet.

227. Inq. 2. An si femina cognita sit

a duobus, vel pluribus, & non agnoscat verus pater, teneantur omnes in solidum alere prolem? R. affirm. Quia omnes sunt criminosi, & rei, ergo si nullus certo probet, se non influxisse in effectum, uterque, aut omnes teneantur alere filium modo dicto. Nec audiendi sunt oppositi assertores innixi in paritate hominis occisi, & in via reperti: qui si nesciatur an a Petro, vel a Paulo sit occisus, uterque absolvitur in foro externo. R. Enim, quod si certo constaret utrumque in homicidium influxisse, uterque juxta æquitatem puniretur, & uterque in conscientia deberet damna pro rata, vel in solidum compensare, ergo similiter, dum certum est, duos, aut plures rem habuisse cum femina, tenentur singuli pro rata, vel in solidum in aliorum defectu ad prolem alendam.

228. Inq. 3. Ad quid teneatur adulter certo sciens prolem esse suam? R. Tam adulterum, quam adulteram teneri compensare omnia damna, quæ subeunt filii legitimi in portione hæreditatis, aut legatorum ratione filii spurii, esto adulteræ non suadeat suppositionem, aut fictionem supponendi marito, ut suum proprium filium adulterinum: quia sive suadeat, sive non, tam adulter, quam adultera est causa, ut ille filius reputetur legitimus, nec oppositum rationi arripit, ergo adulter, & adultera tenentur in solidum compensare damna filii legitimis ex adulterina prole obvenientia.

229. Inq. 4. Ad quid teneatur adultera ob prolem susceptam ex adulterio? R. Quod in primis debet omnia media tentare, ac moliri, ut legitimi hæredes damnum non subeant ratione filii illegitimi, quantum absque dispendio vitæ, aut famæ valeat. Si habeat bona paraphernalia, ea filiis legitimis dare debet. Tenetur expensas, & sumptus minuire, quantum possit, ac laborare, prout conditio sui status permittat, ut exinde acceptis, hæredibus compenset. Suadere spurio, si idoneus fuerit, ut religionem ingrediatur, atque in fratrum utilitatem hæreditatem renuntiet. Tandem adhibitis his, & aliis mediis ad plene compensandum legitimis, ad nihil amplius tenetur, sed potest permittere, quod notus

thus ille in paterna hæreditate succedat.

230. Inq. 5. An adultera teneatur detegere suum crimen spurio, ut filiorum damna impediatur? R. quod, si adultera dubitet, seu spem certam moraliter non habeat præcavendi damna hæredum, minime tenetur se prodere: quia imprudenter famam prodigeret, dubitans sui delicti manifestationem profuturam. Nec refert infamatorem teneri dictum revocare, etiam cum famæ dispendio, quod dubitat suam revocationem profuturam; quia infamator damnum intulit in fama, ideo etiam cum suæ famæ dispendio debet illud resarcire. At mulier non in fama, sed in pecunia legitimis damnavit: unde, cum non potest damna pecunia reparare, non tenetur cum famæ dispendio compensare.

231. Inq. 6. An filius debeat credere matri dicenti, ipsum spurium esse? R. Quod regulariter non tenetur, etiam si cum juramento id assereret: quia dictum unius testis non inducit necessitatem credendi. Unde nisi signis manifestissimis convincatur, neutiquam tenetur, se spurium credere. Si autem convinceretur argumentis adeo urgentibus, quod maritus toto illo tempore absuit, vel aliis, quibus liquido constaret; tunc deberet credere in conscientia, atque hæreditatem adire non posset.

232. Inq. 7. An femina teneatur cum vitæ, famæque periculo revelare filium

esse spurium, quando ita certo crederet damna hæredibus præcavenda? R. 1. quod si femina sit inferioris conditionis, exiguæque famæ, ingens vero hæreditas ab spurio capienda, tenetur ad criminis revelationem: quia ingens hæreditas tribuenda est suo domino cum dispendio famæ parvi momenti. Similiter si maritus, & legitimi filii probi essent, silentioque custodirent delictum uxoris, nec contumellis vexarent, pandere veritatem ad præcavenda damna ipsa teneretur, dum adest spes certa ea avertendi: quia in hoc etiam casu, licet valde raro, exigua adest infamia.

233. R. 2. Femina honestam non teneri per se cum dispendio vitæ, aut famæ prodere suum crimen, licet amplissima hæreditas, aut etiam Regnum ab spurio adeundum esset: quia vita, & fama, utpote ordinis superioris, præstant bonis fortunæ; nec ista tenetur quis restituere cum gravi dispendio bonorum ordinis superioris. Igitur, si spurium in Regno succederet, non teneretur per se Regina ad suum crimen detegendum cum dispendio famæ clarissimæ. Si autem spurius esset perversæ indolis, posset per accidens adstringi ad vitanda Regni iugentia mala. At hoc est gravissimum negotium, maturo consilio resolvendum. Vid. S. Raym. in summa lib. 2. tit. de rapt.

TRACTATUS VIGESIMUS

DE CONTRACTIBUS.

CAPUT I.

De contractibus in communi.

PUNCTUM I.

De natura, divisione, & perfectione contractus.

1. Inq. 1. Quid sit contractus? R. quod secundum Juristas est *ultra citroque obligatio*. Hoc est signum obligationis, vel

ZZZZZ quo